



EX

EX

DEUTERONOMIO

Disputatio III:

- I. De Perfectione sacrarum scripturarum.
- II. De genuino earundem sensu inquirendo

Quæ

In Collegio disputationum Theologicarum
privato.

Ad diem 21. Novembris A. C. 1607.

Witebergæ habebitur

PRÆSIDE

VVOLFANGO FRANZIO

S.S. Theol. D. & Prof. publ. Præpo-
situsq; templi arcis

Respondente

Philippo Cradelio Stetino-
Pomerano.

WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.

M. DC. VII.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through. Some words like "Dissertatio" and "Philosophia" are faintly visible.



ΣΥΝΘΕΣΙΣ
THESIS I.

DE *Perfectione & sufficientiâ sacrosanctæ Scri-
pturæ*, num scilicet omnia, quæ ad fidem mo-
resq; vitæ sanctè peragenda necessaria sunt,
contineat, adeòq; canon & regula sit, ex quâ
in negotijs religionem spectantibus universa
& singula sint probanda & confirmanda, pro-
bataq; & confirmata inde tanquam verbum & mandatum
DEI haberi debeant, inter Ecclesias nostras & inter Ponti-
ficios grande & diuturnum intercedit bellum.

II.

Non minùs graviter configitur ab iisdem inter sese et-
iam de interpretatione sacrosanctæ Scripturæ, unde nimirum ve-
rus sensus & sanus intellectus literarum divinarum peti &
sperari possit & debeat à quolibet, tam docto quam indocto,
num scilicet donum interpretationis sit alligatum ordinariæ
cuidam successioni Episcoporum & Patrum, an verò secun-
dum alia & ad alia certarum regularum ἀξιώματα exigere de-
beat.

III.

De utroque Christianis animis pernecessario doctrinæ
capite, ut etiam post ista de vera Ecclesia, columnâ servante
depositum sacra scripturæ diligenda, deq; perversis synago-
gis malignantium sub periculo seductionis fugiendis, capiti-
bus *Deuteronomij 4. 5. 6. & 7.* divinitus nobis præscripta cer-
titudinum infallibilium fundamenta hac disputatione penito
pectore expendere animus est. Cujus conatum ut sua divi-
na sublevet & dirigat sapientia, Angelus magni consilij, Do-
minus noster Iesus Christus, unicè exoptamus.

IV.

Sit igitur nobis semper in conspectu illa *basis fidei no-*
stra

*Controverti-
tur inter Lu-
theranos &
Pontificios
de Perfectione
& Sufficien-
tia S. Scri-
pturæ.*

*Controverti-
tur inter nos
Lutheranos
& Pontifici-
os de veræ
interpretati-
onis seu veri
sensus S. Scri-
pturæ nota.*

S. Scriptura
continet o-
mnia necessa-
ria ad salu-
tem.

Prima Pro-
batio quod S.
Scriptura con-
pletatur o-
mnia necessa-
ria ad salu-
tem.

Testimo-
nia ex veteri
instrumento.

stra, quòd sicuti non est alia voluntas Dei aut norma fidei & cul-
tuum divinorum quærenda aut excogitanda, nisi hæc unica &
sola, quæ in verbo Dei patefacta est, ita universa dogmata veræ
religionis in verbo D E I sic comprehensa prostent, ut æter-
næ salutis cupidus de articulis ad salutem pertinentibus aliud
nihil credere teneatur, quàm quod ex sacris literis possit
probari.

V.

Innititur hæc *basis duabus* firmissimis & solidissimis *co-*
lumnis, quæ capitibus Deuteronomij indicatis extructæ con-
spiciuntur, plurimisq; stabilimentis ita eriguntur, ut adver-
sus ipsas labefactandas nec ex portis inferorum quicquam ex-
promi queat.

VI.

Primam columnam præbent verba solius magni, solius
viventis, solius omnipotentis, solius ex *Ægypto* per signa &
prodigia publicè populum sibi asserentis, D E I, *Deut. 4, 2.*
Nunc ergo, ô Israel, audi statuta & judicia, quæ ego doceo
vos, *non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis neq; dimi-*
nuetis ex eo, ut custodiatis præcepta Iehovæ D E I vestri, quæ
ego præcipio vobis.

VII.

Eadem conspicitur *Deut. 12, 32.* quicquid ego præcipio
vobis, custodietis ut faciatis, non addes ad illud, neque dimi-
nues ex eo.

VIII.

Eadem ita exhibetur *Deut. 5, 32.* Custodite ergo ut facia-
tis, quemadmodum præcepit Iehova Deus vester vobis, ne
declinetis ad dextram vel ad sinistram.

IX.

Eadem profertur latius *Prov. 30, 5. & 6.* Omnis sermo
D E I ligne purgatus, clypeus est sperantibus in se: ne addas
verbis ejus, ne fortè increpet te, & mendax deprehendaris.

X.

Eadem postea itidem profertur *Esa. 2, 19. & 20.* Quum
dixerint ad vos, quærite à Pythonibus & à divinis, qui garr-

unt & loquuntur, num populus à Deo suo requiret? pro vi-
vis à mortuis? Ad legem & ad testimonium, si non dixerint
secundum verbum hoc: quia non est ei aurora.

XI.

Eadem item exhibetur post exhibitum Messiam, per
cujus gratiam credimus omnes in nomine Iesu ita servatum
iri, quemadmodum & illi ante nos, nimirum patres. *Act. 15,*
11: Visum enim fuit S. S. & Apostolis, ne quid amplius impo-
nerent oneris novæ Ecclesiæ, quàm hæc necessaria, ut absti-
nerent ab Idolothytis & sanguine (unde Noæ doctrina agno-
scebatur) à suffocato & scortatione *Act. 15, 28.*

Testimonia
ex novo in-
strumento.

XII.

Hanc ipsam antea Christus *Iob. 5, 39.* exposuerat: Scruta-
mini scripturas, nam vos videmini in eis vitam æternam ha-
bere. Et *Iob. 12, 48:* Qui rejicit me nec recipit verba mea, ha-
bet quod condemnet ipsum; Sermo quem locutus sum, ille ju-
dicabit illum in ultimo die. Huc etiam illud *2. Tim. 3, 16. 17:*
Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum,
ad arguendum, ad corrigendum, ad institutionem, quæ est in
justitia, ut perfectus fiat DEI homo ad omne bonum opus
paratus.

XIII.

Si enim pio & vero cultui divino, qualem nobis vox di-
vinitus patefacta demonstrat, nihil addere, nihil adimere de-
cet, utique irrefutabili decreto divino nobis illud credendū
proponitur, perfecte & sufficienter verbo Domini revelato
comprehensa doceri, quæcunque hominem ad æternæ vitæ
gaudia contendente necessario scire justum & æquum fuerit.
Sed illud, ut demonstratum est, E. & hæc.

XIV.

Et quod facile existimari potest, ideò lectioni & observa-
tioni scriptorum Dei oraculorū nihil addendū nihil adimendū
est, ne sub humanarū traditionū & corruptionū fecibus, pu-
ritatem

Quicquid
verbo Dei ad-
ditur vel adi-
mitur, sensu,
qui mox se-
quetur, id est
fermentum
humani cere-
bri.

ritatem divinarum mysteriorum, adeoque salutis certitudinem periclitari contingat.

XV.

Huc enim pertinet illud Christi *Matth. 15, 9*: Frustra colunt me docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum. Et illud *Iohan. 12, 48*: Qui rejcit me, nec recipit verba mea, habet qui condemnet ipsum: sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in ultimo die.

XVI.

Huc illud ad *Gal. 1, 9*: Si quis vel Angelus è cælo prædicaverit præter id quod evangelizavi, anathema sit. Et illud *Apoc. ult. v. 18*: Qui addiderit ad verba hæc, addat ei Dominus plagas, quæ sunt scriptæ in libro hoc.

XVII.

Porrò *addere seu adimere* aliquid legi seu verbo DEI non significat dicta insigniora vel alijs, vel pluribus, vel paucioribus, vel transpositis verbis recensere, id quod utrumque in usu fuit positum Prophetis, ipsi Christo & Apostolis, ideoque omnibus & singulis Ecclesiæ doctoribus & auditoribus omni jure licitum, id quod ad oculum patebit conferenti hæc loca: *Deut. 8, 3. Matth. 4, 3. & Mich. 5, 2. Matth. 2, 6. & Deut. 24, 1. Matth. 5, 31. & Esa. 9, 2. Matth. 5, 15. & Esa. 45, 23, 24. Rom. 14, 11.*

XIIX.

Verùm hoc in loco *addere* legi seu verbo DEI est instituire seu venditare aliquid pro cultu divino, quod verbo DEI manifestè repugnat.

XIX.

Hujus generis erat *μορολατρεία* in deserto *Ex. 32, 4*. ædificatio excelsorum in honorem Deorum Ethnicorum, *1. Reg. 11, 5, 6, 7, 8*. item cultus vitulorum in Bethel ac Dan *1. Regum 12, 28, 29, 39*. item altare extra Solymam *1. Reg. 12*.
item

Quid sit *addere legi seu verbo DEI*.

item serpentis ænei olim in deserto exaltati cultus religiosus
2. Reg. 18, 4. mactationes victimarum humanarum 2. Par. 28.
invocatio mortuorum hominum sub Papatu, circumcisio
utriusque sexus, & simul baptismus utriusque sexus homi-
num per hodiernas Æthiopicarum provinciarum Ecclesias,
ut testatur *Chytraeus* in commemoratione de statu Ecclesi-
arum Græcarum & aliarum.

X.

Hæc enim omnia pugnant adversus expressam testimo-
niorum divinorum mentem *Ex. 20, 3, 4. Deut. 12, 5. Ios. 6, 36,*
Lev. 1. & seqq. Deut. 6, 13. & 11, 20. Matth. 4, 10. Genes. 17, 9. Gal.
5, 2, 4, 6, 5.

XXI.

Adimere aliquid legi seu verbo D E I significat divinitus
& purè prohibitum permittere & concedere & vice perversa
divinitus concessa prohibere, quandoque sub æternæ da-
mnationis tremendo fulmine.

*Adimere le-
gi seu verbo
Dei quid sit.*

XXII.

Hujus classis sunt Cælibatus Sacerdotum, elus carnis ad
certos dies prohibitus, & quòd aliquoties Papa sponsalia de
præsenti rescindere ausus fuit, quòd vivente prima legiti-
maq; conjuge permisit maritis conjugia cum novis uxoribus,
quòd uni duas sorores ducere concessit, quòd interdum legi-
tima matrimonia sine causâ D E I verbo congruâ dissolvit.

XXIII.

Hæc enim iterum è diametro pugnant adversus expres-
sissimos sensus sacrarum paginarum *1. Tim. 3, 2. Coloss. 2, 16.*
Matth. 19, 6. Levit. 19 18.

XXIV.

Alteram columnam præbent hæc verba *Deut. 4, 8:* Quæ
est gens magna, cui sint statuta & judicia justa, sicut est uni-
versa lex ista, quam ego do coram vobis hodie. Et paulò ante
vers. 6.

*Secunda
Probatio
quod S. scri-
ptura com-
plectatur o-
mnia necessa-
ria ad salutē.*

vers. 6. Custodite ergo & facite, quia ea est sapientia vestra & intelligentia vestra in oculis populorum, qui audient omnia statuta ista, & dicent, utique populus sapiens & intelligens, gens magna ista.

XXV.

Si enim nullius populi sub toto caelo à diebus usque antiquis, à die quo creavit hominem super terram *Deut. 4, 2.* unquam tam justæ tam sapientes tam bonæ leges fuerunt, atque hæc omnia statuta per Mosen repetita & promulgata populo Judaico in libris Mosaicis, utique sequetur eas perfectiores esse omnibus humanis traditionibus, adeoque omninò in sese completi omnia piis animis æternam felicitatem aucupantibus necessaria, tam de Evangelio, ut *Deut. 18.* quam de lege. *Sed prius. Ergo & posterius*

XXVI.

Evidentius quoque illud fiet, *ex collatione hujus doctrine cum aliorum populorum doctrinis* in dogmatibus de Deo & de proximo, id quod non tantum faciet ad convincendos Ethnicos, quæ viâ convertendi Ethnicos usi fuerunt quovis seculo eruditi Theologi, ut exempla Iustini Martyris, Tertulliani, Cypriani & Augustini testatum faciunt, Verum etiam ad nos ipsos eò magis confirmandos, ut eò majori amore & studio quotidie in sacris libris occupati simus.

XXVII.

Eusebius in libris preparationis Evangelicæ refutans Ethnicas religiones colligit aliquot gradus testimoniorum seu collationes, ex quibus præstantiam perfectionis & certitudinis oraculorum divinorum assertam nobis commendat.

XXIIX.

Ac primò si omnes omninò excutias arculas omnium Bibliothecarum, quæ unquam fuerunt, nullum ex toto genere humano scriptum citari & proferri potest, in quo initia rerum

De collatione S. Scripturæ cum aliis quibuscumque quorumcumque auctorum scriptis, quam observare & urgere debent ij, qui Ethnicos divina Biblia nihil curantes ad Christianismum convertere volunt.

1. Collatio scriptorum commendat S. Biblia ab antiquitate.

rerum cum continua serie annorum usque ad hodiernum, di-
em tam dilucidè annotata demonstrari queant, atq; sola Mo-
saica & Prophetica, Evangelica Apostolicaq; scripta.

XXIX.

Huc facit, quod *Aphricanus* apud Eusebium ait, quic-
quid apud Græcos vetustatis laude excellit, id omne longo
intervallo Mosen sequitur.

Aphricanus.

XXX.

Item: ante initium Olympiadum nihil certi in historiis
Græcis recitatur, sed omnia sunt plena confusionis & disso-
nantia.

XXXI.

Huc istud memorabile *Iustini* Philosophi & Martyris in
Apologia pro Christianis ad Antonium pium Imperatorem,
in apologia secunda: Moses antiquior est omnibus scriptori-
bus Græcis, & quæcunque Philosophi & Poetæ de immorta-
litate animæ & de pœnis post hanc vitam & de consideratio-
ne cœlestium dogmatum scripserunt, ea à Prophetis mutuati
sunt tanquam semina virtutis. Verba Græca ita habent:

Iustinus.

Πρεσβύτερος ὢν Μωσῆς καὶ πάντων τῶν ἐν Ἑλλήσι συγγραφέων, καὶ
πάντα ὅσα περὶ ἀθανασίας ψυχῆς, ἢ ἡμεριῶν τῶν μετὰ θάνατον, ἢ θεω-
ρίας ἑρασιῶν, ἢ τῶν ὁμοίων δογματικῶν καὶ φιλοσόφοι ἔποιηται ἔφασαν,
παρὰ τῶν Πρωφητῶν τὰς ἀφορμὰς λαβόντες καὶ νοῆσαι δεδύνηται καὶ
ἐξηγήσαντο. ὅτι παρὰ πᾶσι ἀέριμα ἀληθείας δοκεῖ εἶναι. ἐλέγχοντα
δὲ μὴ ἀκριβῶς νοῆσαντες, ἀλλ' ἐναντία αὐτοῖς ἑαυτοῖς λέγων.

XXXII.

Immò etiam huc facit, quod *Cicero* in Tusc. quæstio-
nibus de immortalitate animæ disputans utitur probatione
sumpta ab auctoritate, Auctoribus, inquit, ad obtinendam
hanc sententiam uti possumus, imprimisq; antiquitate, quæ
quò propius aberat ab ortu & divina progenie, eò melius, quæ
erant vera cernebat.

Cicero.

B

Hinc

XXXIII.

Tertullianus.

Hinc igitur sumpsit suum illud *Tertullianus* aduersus Praxeam axioma: id esse verum quodcunque primum, id esse adulterinum quodcunque posterius.

XXXIV.

Cumq; verbum DE I omnium hominum antecedit inventa & lucubrationes *Gen. 2, 16, 17. & 3, 4, 5. Rom. 2, 15.* ideò hoc quoque respectu omnibus humanis dogmatibus est perfectius.

XXXV.

Secunda collatio scripturarum commendat S. scripturam à congruentia predictionum & eventuum.

Deinde cum *predictionibus* sacrarum literarum de nascituro Messia *Gen 3, 14 & 18, 18. & Dan. 7.* de serie Monarchiarum deq; similibus certissimus tandem responderit eventus; an non ex eo quoque non tantum Ecclesia, sed etiam Ethnici infinitum discrimen & certitudinis majoris τεκμήριον infalibile inter sacra & Ethnica scripta ipsis suis manibus palpare debuerunt & potuerunt.

XXXVI.

De Christo legatur *Iosephus* Historicus Iudaicus l. 18. cap. 4. *ἀρχαιολογίας*, qui de Christo vera scribit, cum nunquam verè crediderit in Christum. De aliis præter historicos alios omnes consulatur itidem Iosephus tum in his jam nominatis, tum in libris contra Apionem, ubi per circumstantias ex autoribus Ethnicis collectas, hoc argumenti, de quo nunc agimus, genus probatum reddit. Et ut compendium temporum lectionumq; præbeamus, legatur tractatus *M. Andrea Franckenbergeri* insignis de amplitudine & excellenti dignitate historiae Propheticae.

XXXVII.

Similia de congruentia prænunciationis rerum futurarum, cum rerum ipsarum præsertim maximarum tandem secuto exitu, quoad circumstantias personarum, locorum, tempo-

temporum, ex nullis aliis religionibus produci queunt. Deus cum sit omnium *πράξεων αὐταρχὸς & ἀλόγητος* omnium seculorum, talis, cui omnia loca & tempora sunt ut unicum punctum & unicum *ἀτομὸν & ἀδιαίρετον ὄν*, ita omnia tempora habet praesentia, nulla praeterita, nulla futura *Psal. 90, 4. 2. Pet. 3, 8.*

XXXVIII.

Huic cognatus est alius certitudinis & perfectionis gradus, qui a miraculis petitur, ejusmodi nimirum omnipotentiae divinae operibus, quae Diaboli vel impedire vel mutare non potuerunt, ut conservatio Noae in diluvio, *Gen., 7 & 8.* populi educatio ex Aegypto invito rege *Ex. 12.* statio & regressio Solis *Ios. 10., 2. Reg. 20, 2. 2. Par. 32. Esa. 38.* Partus virginis *Luc. 1. & 2.* Conservatio Ecclesiae hos libros sacros amplectentis inter infinitas alias sectas interim intereuntes, de quibus ipsis itidem apud Ethnicos extant testimonia, quae legantur in tractatu insigni *M. Andrea Franckenbergeri* jam citato.

XXXIX.

Etsi verò Dæmones per oracula quosdam futuros eventus praenunciare atque quandoque mira quaedam edere conati fuerunt & ipsi, tamen paulò post quae mendacia & fraudes ipsorum hac in parte fuerint solidè detegetur.

XL.

Ante omnia verò etiam solummodò *ad rationis trutinam expendantur* dogmata de D E O & de proximo, quae extant in his libris, & quae reperiuntur apud alios auctores Ethnicos. Qua de parte poteramus longissimam texere telam secundum ductum decem praceptorum legis divinae.

XLI.

Annon Ethnici coluerunt infinitam turbam Deorum, de qua solummodò *Θεογονίαν Hesiodi* aspicias, annon parentes senio confectos multi trucidarunt & devorarunt, ut in

B

2

lib. 1.

Tertia collectio scripturarum commendat S S. Bibliae descriptione miraculorum, quae nulli imitari alij unquam potuerunt.

Quarta collectio scripturarum commendat S S. scripturam a san-ctitate dogmatum.

Furores Ethnicorum de religione & in moribus.

lib. 1. Tusc. quæst. habetur, an non victimas humanas suis Diis mactarunt, idq; de Deorum suorum consilio & jussu, de quo leges etiam Gallorum veterem idolomaniam. in commentariis *Iulij Casaris* de bello Gallico.

XLII.

An non approbarunt pudendissimarum libidinum terras confusiones, de quibus legitur apud *Herodotum lib. 1.* ubi recitat legem Babyloniorum, qua omnibus mulieribus indigenis commune est, semel in vita ad Veneris templum descendibus, cum externis viris consuetudinem habere: *Item lib. 6. ut & Plut.* in comparatione *Lycurgi & Numæ*, quod de adulteriis pacisci & aliorum uxores usu accipere licitum fuerit.

XLIII.

Quid dicam de lanienis certaminum gladiatoriorum, ubi impunè ex instituto & consuetudine congressi tamdiu pugnabant, donec alter necaretur, ita ut sæpe unâ vesperâ 100. 1000. & plures extinguerentur, de qua turpitudine lege insignem tractatum *Lipsii* in saturnalibus ipsius.

XLIV.

Duravit iste furor teste *Theodoreto lib. 5.* usq; ad tempora *Honorij*, qui promulgavit legem de abrogandis istis spectaculis, cujus legis præco lapidibus fuit obrutus, quod *Diabolus* ægerrimè ferret exterminationem suorum homicidiorum.

XLV.

Etsi verò apud populum Dei quandoq; horribilia scelorum nefandissimorum exempla fuerunt spectata, tamen libris sacris eadem prohibentur & taxantur cum vice perversa legibus, & statutis Ethnicorū & consuetudine publica licitum esset pacisci de, adulteriis, impunè scortari, impunè occidere, ut iam ostendimus.

Hæc

Gladiatorum
ignis sacri
cultorum,
Bacchantium
furie ex Eth-
nicismo sub
veteri federe
in novi fede-
ris secula pe-
netrarunt &
liutissimè
inter illa per-
manserunt.

XLV.

Hæc si etiam nondum renati intimis sensibus præcordio-
rum suorum voluerint & revolverint, omnis sanctissimæ
perfectionis primas secundas & tertias partes soli scripturæ
sacræ tribuere incipient.

XLVII.

Concludat hanc delineationem, illud *Iustini Martyris &
Philosophi* testimonium, quo permotus Christianam religio-
nem fuit amplexus, sicut ipse scribit in Apologia ad senatum
Romanum

XLVIII.

Ego quidem (inquit) qui Platonis delectarer disci-
pulis, cum Christianos calumniosè de ferri audirem, vide-
remq; eos magno animo mortem aliq; terribilia de-
spicere, cogitavi, non posse fieri, ut tales in flagitiis deliciisq;
viverent.

XLIX.

Et Notum est, quanta cum desperatione mortem exhor-
ruerint Ethnici, qui ex suis scriptis nullam consolationem
percipiebant, *1. Thess. 4. 13.* cum e contra his libris instructi nec
etiam crudelissimos suppliciorum cruciatus pro veritate
subterfugiant. *2. Macc. 7.*

L.

Verè igitur gens magna dici debuit populus Israeliticus,
cui sunt iudicia & statuta tam iusta: Verè populus ille fuit
dicendus sapiens & intelligens, cui ex illa lege tanta sapientia
& intelligentia.

LI.

Admirentur etiam alij acutos politicos alios, nos sciamus,
omnis cœlestis & politicæ veræ sapientiæ gustum ex sacris
nostris petere nos debere im primis nunc ex Ecclesiaste, Pro-
verbijs, ac quæ in Syracidæ libro etiam continentur.

LII.

Fraudulentiam verò *Machiavellicam* à multis dictâ sapien-
tiæ nomine non modò non dignari fas esse iudicemus sed

Quinta colla-
tio scriptura-
rum com-
mendat
SS. Biblia à
subministra-
tis vivis sola-
tis adversus
mortem.

Fraudulentia
Machiavellic
& politica
sapiencia re-
to genere dif-
ferunt.



extoto Ecclesiæ & Christum sincerè colentium pomcerijs
proscribere discamus & laboremus.

LIII.

DE IN-
TERPRE-
TATIONE
S. Scripturæ.

Interpretatio
S. Scripturæ
est donum
DEI.

Interpretatio
scripturæ sa-
pienter insti-
tuenda est.

Sensus non
est importan-
dus in scriptu-
ram sed que-
rendus, eruē-
dus & ita ex-
portandus.

De Interpretatione scripturæ ante omnia tenendum est,
quòd verbum DEI nequaquam sit incertum ænigma ut Sphin-
gis vel Eridis pomum, sed Spiritu DEI & luce ita intinctum,
ut meditatione inprimis opus sit & tentatione & invocatio-
ne: sic enim fiet interpretatio donum DEI 1. Cor. 12, 14. si-
cut etiam donum sanationum, miraculorum & linguarum
non est commune omnibus, sicut Eunuchus reginæ Candaces
Act. 8, 31. agnoscit, Quomodo possum intelligere, nisi quis
viam præmonstret mihi?

LIV.

Deinde sæpe rulinemus illud *Hieron.* in 1. cap ad Gal
Non putemus in verbis scripturarum esse Evangelium, sed
in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum
foliis, sed in radice. Id. in *Dialogo Orthodoxi & Luciferani*:
Scripturæ non in legendo, sed in intelligendo consistunt.
Huc *Psal.* 47, 8. Plallite Domino sapienter. Et à Christo
Marc. 12, 34: laudatur respondens *ὑπερώς*, id quod scilicet so-
phisticæ & ignaviæ opponitur.

LV.

Præterea notum sit illud *Hilar.* citante Brentio pericope
3. fol. 1220. de purgatorio: Optimus lector est, qui dictorum
intelligentiam expectet ex dictis quàm importet, & retule-
rit magis quàm attulerit, neque cogat id videri dictis conti-
neri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum.

LVI.

Et illud *Gregorij M.* in moralibus: Scriptura est cibus in
obscurioribus locis, potus in apertioribus.

LVII.

Et hæc est optima regula tollendi omnia pugnancia, quia
secun-

secundum *Augustinum* pax est in scripturis & omnia disposita nequaquam rixantur.

LVI.

De genuina igitur interpretatione Scripturae sacrae hoc tandem constituimus axioma, in Verbum DEI non importandas esse hominum privatas opiniones, sed ex verbi DEI τῶ ἑστῶ per diligentem occasionis, circumstantiarum, subjectæ materiæ, antecedentium, consequentium, ordinis, phrasium non tantum in uno, sed etiam in pluribus eadem de retractantibus locis recurrentium & usurpatarum inter se collationem & suppletionem, sapientem, methodicam, piam, simplicem, assiduam, sensum divinæ sapientiæ quærendum & eruendum esse.

LVII.

Semper autem in Theologicis imitandum est *Mosis* studium, qui non acutas & subtiles distinctiones & disputationes, movet, verum primo brevissimis & clarissimis utitur aphorismis, mox maximam partem assiduis & splendidissimis sæpissimeq; repetitis iisdem exhortationibus ad obedientiam excitandam consumit, ut ex prioribus 12. *Deuteronomij capitibus* aliquoties ad oculum apparet.

LIX.

Similiter 1. *Tim. 5, 7.* profanas & aniles fabulas rejicere & exercere nosmet ipsos ad pietatem jubemur.

LX.

Et Christus non ad omnia interrogata discipulorum respondere voluit *Act. 1, 6, 7. & Rom. 14, 1.* Eum, qui fide est infirmus, assumere jubemur, non ad certamina disputationum in eunda, ut erant tunc temporis de cibis comedendis & non comedendis. Et ad *Phil. 2, 14.* omnia facere absque murmurationibus jubemur.

LXI.

Quin & 1. *Timoth. 1, 4.* monet Apostolus omnes, ne attendant

Non pugnat
bit secum
scriptura, si
omnia mem-
bra de re ali-
qua in unum
agmen dispo-
nantur.

Regula in
interpretati-
one unice se-
nenda.

Inutiles sub-
tilitates si in
ulla discipli-
na imprimis
in Theologia
maximopere
fugiendæ
sunt.

tendant fabulis & genealogijs infinitis, quæ potius quæstiones præbent, quàm ædificationem Dei, quæ est per fidem. Et. 1. *Tim.* 6.4. Quidem *insaniunt* circa quæstiones ac verborum certamina. ex quibus nascitur invidia, lis, maledicentiæ, perversæ exercitationes hominum mente corruptorum, quibus adempta est veritas, qui quæstui habent pietatem. 2. *Tim.* 2.14.

LXII.

Theologicæ
περὶ μολει-
ας omnes
semper ad
praxin diri-
gende sunt.

Theologicum igitur hoc sit præcipuum studium, & sufficiat necessaria dogmata ad salutem pure & lucidè ex Scripturis eruere. *Nullius enim scientia omnia capita tam ad πράξιν* dirigi debent quàm Theologiæ, in scholis & templis, ut nimirum non tam doctos quàm pios auditores reddamus.

LXIII.

De patribus
& interpreti-
bus sacrarum
scripturarum.

Cæterum ne videamur credere in Deum, quem non novērunt Patres nostri utile quoq; est, ut Patrum & Interpretum laboribus fruamur, sed ita, ne donum veræ interpretationis ordinario Episcoporum certorum Concilio, & successorum throno alligatum esse arbitremur, sed ut ad exemplum Berrhoensium *Act.* 17. 11. inquiramus quibusnam rationibus & fundamentis suæ sententiæ fidem & auctoritatem faciant, juxta illud Apostoli *1. Thess.* 5. 21. Omnia probate, quod bonum est tenete. Item: Prophetæ duo aut tres dicant, cæteri dijudicent, Quod si cui sedenti revelatum fuerit, taceat prior. 1. *Cor.* 14. 29.

LXIV.

Iniqua peti-
si.

Terq; quaterq; arguendum & damnandum venit, quod Pontificij tale jus interpretandi sacras paginas sibi dari postulant, ut labore probandi ipsorum Synodus supersedeat, Ecclesia verò dijudicandi libertate careat.

LXV.

Nam & ipsi Patres eam tuis fixerunt legem commentarijs, ut si quis alius meliores & meliores attulerit, hi magis quam illi teneantur.

Et

LXVI.

Et re ad Hieronymus ad Minerium & ad Alexandrum: Me-
um propositum est antiquos legere, probare singula, retinere
quæ bona sunt, & à fide Catholicæ Ecclesiæ non recedere.

LXVII.

Simpliciter *Interpretum* est, fundamenta interpretationū
tam liquida monstrare, ut ea etiā alij intelligant, qui donum
interpretationū nec habent nec sibi sumunt: *auditorum* tamen
est, fundamenta illa conferre cum verbo Dei prælecto ea que
examinare & meritò cum Chrysostomo sapius Laicos objur-
gare decet, immo tandem perire eos fas est, qui lectionem &
auscultationem scripturæ, adeoq; examinationem interpre-
tationum omnem Clericis & Monachis relinquunt & con-
cedunt.

LXVIII.

Hanc regulam capite sexto vers. 21. & seqq. Deus præscri-
bit utriq; parti, cum inquit: Quum interrogaverit te filius tu-
us cras dicendo, quid sibi volunt testimonia & statuta & judi-
cia, quæ præcepit Iehova Deus noster vobis, id est, cum filij
& nepotes vestri rationes legum & ceremoniarum, quibus
colitis Deum, poposcerint. Ecce ergo auditorum & laicorum
quorumvis, adultiorum & juniorum est inquirere de religio-
nis fundamentis. Et sequitur,

LXIX.

Tunc dices filio tuo, Servi fuimus in Agypto, & eduxit
nos Deus inde, itaq; præcepit nobis Iehovah ut faciamus o-
mnia statuta ista, id est, si fons & origo omnium nostrarum
legum derivabitur, est illaeductio miraculosa ex Agypto,
cujus semper meminisse, semperque illum pro vero Deo a-
gnoscerere debemus. Ecce igitur autorum, doctorum, & adul-
tiorum est ad ipsam patefactionem divinā in erudiendis au-
ditoribus recurrere, & rationes fundamētaq; ipsis ostendere.

C

Quod

Officium bo-
norum inter-
pretum scri-
pturæ.

Laicorum
officium est,
non acquie-
scere in inter-
pretum enun-
ciatis, sed ea-
rundem fun-
damenta, ex
verbo DEI
sibi præ-
lecto, si ipsi
alia legere
nequeunt,
scrutari.

LXX.

Quod longis circumstantijs cap. 4. describit, quæ specialia liberis dicere debeant, vult ut nos inde exemplum capiamus, similiq; diligentia de articulis fidei ad posteros transmittenda cogitemus.

Plene debent esse explanationes SS. scripturarum.

LXXI.

Quod capite eodem vers. 9. & seqq. graviter inculcat parentibus, ut suis liberis puras & integras verasq; historias egrefus miraculosi communicent, vult ut à nobis quoq; veritas continuâ serie ita propagetur, ut posteriorum explanationes à majorum explanationibus veris non dissentiant.

Vere & cum totius ecclesie doctrina consentientes debent esse SS. scripturarum interpretationes.

LXXII.

Cave, inquit, ne obliviscaris rerum, quas viderunt oculi tui, & doceas eas filios tuos; Cave ne corrumpas vias vestras; Cave ne obliviscamini pacti. Ecce is audire te fecit vocem suam & super terram ostendit tibi ignem magnaq; è medio ignis verba ejus audivisti.

LXXIII.

Quæ cum ita sint prorsus in antiquam inferni barathrum relegetur illud in Sanhedrim: Plus est in verbis Scribarum, quam in verbis legis, Et in Midras Elle haddebarim, super illud non deviabis, neq; declinabis &c: Etiam si ostenderint in oculis tuis de dextra quod sit sinistra, & de sinistra quod sit dextra, crede eis vel obtempera; recensente Galatino. lib. 11. cap. 4. de arcanis rebus Iudeorum.

Intolerabilis stultitia.

LXXIV.

Et vigorem suum in omnia secula obtineat hic canon, quascunq; traditiones sive scriptas sive non scriptas manifestè pugnantes cum verbo Dei expressè, prorsus abominandas esse: qua de re infra plura.

Questio:

LXXV.

Verum enim verò, cum primi Patres ab Adamo & reliquis, Israelitæ ex ipso cælo, alij ex ore Christi & Apostolorum

rum

rum perfectam & salutarem doctrinam hauserint, non im-
merito jam *quaritur*, quæ dementia posteros multos ceperit,
ut relicto subinde vero Deo & pura doctrina patrum abjecta
ad idola manu fabrefacta & ad similes idololatrias transie-
rint.

LXXVI.

Notum est cuivis, quid in libro *Sapientia*, & quidem cap. 14
de harum varietatum initijs doceatur.

LXXVII.

Certum autem est, corruptionem religionis primordia
sua accepta referre debere, tum secessioni factæ à cœtu & ab
Ecclesia piorum patrum, deinde conversationi cum impijs.

LXXVIII.

Illic enim in odium aliorum nova finguntur, & necessaria
venduntur, *hic* verò in gratiam aliquorum vel absurdissima
defenduntur & propagantur articulorum religionis proble-
mata.

LXXIX.

Illud absq; dubio *Cain* in exilium cum sorore, conjuge
pulsus fecit, unde Ecclesiæ filiorum hominum, non verò am-
plius ecclesiæ filiorum DEI nomen ipsi DEVS assignat *Gen.*
6. 2. 4. Post diluuium *Chamus*, quod ex *Chammonis* seu *Ham-*
monis Iovis oraculo non malè hariolatur *Reinerus Reineccius*,
in oratione de *Historia*.

LXXX.

Hoc magnus numerus Iudæorum postea secutus fuit,
quales fuerunt *2. Reg. 17.* quod post gentes, quæ sunt in circui-
tu eorum ambulant, incurvaveruntq; sese universæ militiæ
cœli: Item, qui *Psal. 106. 37. 38.* describuntur, quod sacrificent
liberos suos Diabolis.

LXXXI.

Illud verò omnes, cur in rebus inanimatis seu mortuis, ma-
nuum humanarum operâ ex auro & argento fabrefactis, in

C 2

simulacris

De ratione
corruptæ do-
ctrine patrū,

Auctor cor-
ruptionis do-
ctrine ante
diluuium.

Auctor cor-
ruptionis do-
ctrine post di-
luuium.

Quæritur,
cur rationa-
les homine;
non veriti
sint irrationa-
lia & inan-
mata idola
colere.

Responſio.

animalium in lapide, & ſimilibus honoradis operam & ſimul fiduciam ſeu ſpem ſitam habere non erubuerint, admirari deſinent, quot quot Dæmones ſub illis delituiſſe, ex iſtis ſonos emiſiſſe, reſponſa ſciſcitantibus præbuiſſe, ſacrificia humanarum victimarum accepta poſtulaiſſe & habuiſſe, cognoverint.

LXXXII.

Diaboli prolocuti ſunt oracula Ethnicis.

Id enim tam expreſſe eloquitur David *Pſal. 106. 37. 38.* quàm quod expreſſiſſime cloqui deberet & poſſet: ſacrificaverunt filios ſuos & filias ſuas Dæmonijs. Et effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quas ſacrificaverunt ſculptilibus Chanaan, & infecta eſt terra ſanguine.

LXXXIII.

Huc illud *Levit. 17, 7.* Non ſacrificabunt ultra ſacrificia ſua Dæmonibus cum quibus fornicantur. Huc iſtud *1. Cor. 10: 20.* quæ immolant gentes, Dæmonijs immolant, non Deo.

LXXXIV.

En tibi auctorem omnium oraculorum Ethnicorum, Dei nomina & ſcientiam & poteſtatem ſibi arrogantium, quibus repleta ſunt tam multorum historicorum & aliorum volumina, qui tamen tunc conticeſcere, coactus fuit, quando Orator æterni Patris, λόγος αἰδίου ἰχορόπερς incarnatus apparuit, ut nimirum opera eius deſtrueret, quorum operum unum hoc quoque fuit, nec poſtremum.

LXXXV.

Aliquem ſibi tamen angulum adhuc retinuit apud eos magos, qui de adverſa fortuna, de amiſſis opibus, de morbis & alijs conſuluntur, alioſq; munire conantur adverſus lupos, gladios, nimirum ex artibus magicis.

LXXXVI.

Modi quibus futura prædicere potuerint per oracula, Diaboli.

Cum autem non poſſimus Diabolis aſcribere infinitam aliquam ſcientiam non immerito *queritur*, quibus modis futura præſciverint & prædixerint.

Sed

LXXXVII.

Sed cur non multa consecutura in proventibus terræ & aquarum ex antecedentibus causis Physicis sagaciter colligere potuissent ij, qui naturam & varias vires astrorum, elementorum & mixtorum accuratissimè perspectas habent, singulisq; momentis intuentur.

LXXXVIII.

Deinde ex vita benè peracta de premijs, ex vita impura procedente de consecuturis pœnis, de mutationibus in vitæ civilis statibus felicissimè ratiocinari potuerunt, quippe quod sic ut nos ita inprimis ipsi nôrunt tot mille annorum experientia certissimi redditi, multos esse suæ fortunæ fabros, atrocissima delicta etiam in hac vita atrocibus pœnis puniri, sæpe unam domum aut civitatem puniri, propter unius hominis malitiam, sæpe Deum differre pœnas, sæpe pœnitentibus mitigare vel condonare ærumnas, sæpe moram gravitate compensare, Deo pœnam talionis esse familiarissimè usitatam.

LXXXIX.

Præterea sicut sancti Angeli ad mandatum Dei piorum animas ex corporibus migraturas præstolantur, observant, excipiunt, & in sinum Abrahæ deportant, ita demonibus istis impiorum animæ, in illo vel illo loco abripiendæ traduntur. Hinc Bruto respondere Dæmon ita potuit, ut locum mortis ei denunciaret: O Brute, sum tuus Cacodemon, in Philippis videbis me, referente Plutarcho in vita C. Cesaris omnino sub finem.

XC.

Apud Herodotum lib. 2. Mycerino regi non malo ex urbe Buii venit oraculum, fore ut sex tantum annos viveret, septimo defuncturus. Sed cum id ipse ægrè ferret, quod patri & patruo Deorum contemtoribus hominumq; tortoribus longior vita contigisset, itidem ex oraculo audit hoc responsum;

C 3

Primus modus, quo futura prædicere potuit omnium oraculorum Ethnicorum auctor Diabolus.

Secundus modus, quo futura prædicere potuit omnium oraculorum Ethnicorum auctor Diabolus.

Tertius modus, quo futura potuit prædicere oraculorum Ethnicorum auctor Diabolus.



sponsum; Eapropter ipsum properè vitam finiturus, quod non faceret quod deberet Oportere enim Ægyptum centum quinquaginta annis affligi, idq; duos, qui ante eum fuissent, fecisse, ipsum vero nequaquam.

XCI.

Absq; dubio igitur Deus propter peccata puniturus Ægyptum hoc negocij Diabolis ministris dederat, unde facilimè prædicere poterant, quæ ipsi efficere volebant, attamen nihil ultra præscriptum divinum: Sicut etiam de Iuda & Nerone traditis Diabolo facilimè prænunciare potuerant, alij socij Diabolorum quid in talibus tandem ipsi cum socijs alijs Diabolis effecturi essent, in hoc vel illo loco, hoc vel illo tempore.

XCII.

Notissima etiam fuerunt Diabolis vaticinia sacra Scriptura de quatuor Monarchijs, Danielis 7. & de regno Christi, ex prophetis singulis deq; alijs mutationibus in regno Israel, & in vicinis imperijs ex ipsis sacris Biblijs. *Diodor. lib. 17.*

XCIII.

Hinc etiam absq; dubio extiterunt carmina Sibyllina ante natiuitatem Christi exarata, in quibus mentio fit Salvatoris nostri, qualia etiam Cicero legit, ut refert in secundo de diuinatione, & quidem eiusmodi carmina, ex quorum primis literis aliquid articulata & singularis significationis connectebatur, de quo toto negotio pulcherrima legent studiosi apud *Eusebium lib. 5. de vita Constantini sub finem.*

XCIV.

Atq; cum hæc ita sint nimirum quod Cicero faciat mentionem carminum Sibyllinorum, quorum interpretes suo, Ciceronis nimirum tempore prædixerint instare tempus, quo eum, quem reuera regem habebant, regem appellare debeant, si salvi esse vellent merito miretur aliquis, quo jure *Percerus*

Quartus modus quo futura quedam prædicere potuerunt omnium oraculorum Eibnicorum auctores Diaboli. Carmina Sibyllina ante natum Christum exarata.

cerus neget in libro de divinatione, Sibyllina carmina postnatū
Christum de mum à Christianis facta fuisse.

XCV.

Quid quod *Diaboli* in toto orbe intimā colunt familiaritatem
& mutuos habent celerrimosq; congressus, in quibus mutuò
communicant de rebus gestis vel gerendis in hoc vel illo lo-
co, hoc vel alio tempore. Ea ipsa horā quā Romæ in Italia oc-
cisis fuit Domitianus à quodam Stephano, Ephesi in Græ-
cia Apolonius ex instinctu Satanae hæc verba protulit; Per-
cute peccatorem Stephano, & postea subiecit, Mortuus est
Tyrannus. *Eulg. lib. 1. cap. 6. & Cyprianus in Domitium.*

XCVI.

Apud Herodotum, Psammethico regi Ægyptiorum pul-
so in exilium & conelationem petenti ab oraculo, promissio
datur hæc, ipsi affaturos viros æreos ex mari. Venerunt enim
armati, ra dones ex mari, cum quibus se conjunxit Psamme-
tichus & regnum recuperavit. *S. bellie. lib. 4. Ennead. 2.*
& Herodot. lib. 2. Viderant & impulerant hosce prædatores Dia-
boli.

XCVII.

Et notatione dignissimum & assertioni nostræ firmandæ
appositissimum est, quod habet Ph. Camer. *lib. 1. succ. cap. 70* de
quodā certis intervallis exagitato ad inquieto spiritu. Obser-
vatus fuit habere mirificas visiones circa diem Bartholomæi,
anno Christi 1572. nimirum circa cruentarum nuptiarum Par-
rhisiensium tempora.

XCVIII.

Atq; inter alia eā nocte, quā facta fuit laniena sæpius excla-
masse ab ipso perhibetur; Ecce, ecce, quanta Cæcidæmonum
agmina in aere velut ex diversis & distitis locis advenientium
& congratulantium ac si aliquam insolitam & cruentam rem
ex arbitrio perfecerint, hinc inde in aere circumvagari con-
spicio: & addidit: Sed ea omnia extra Germaniam acta & gesta
sunt.

Sed

Quintus mo-
dus, quo fu-
tura prædic-
re potuerunt
omnium ora-
culorum Eib-
nicorum au-
ctores Dia-
boli.

Simili pacto
hyberno tem-
pore uvæ
maturas ex
locis æstatem
habentibus
afferre pos-
sunt, sed non
nisi tunc cum
a DEO ve-
niam accipi-
unt, alioquin
omnes vine
spoliaret.

XCIX.

Sed & huiusmodi & similium rerum exempla plura, qui volet, leget apud Lavaterum de spectris *lib. 1. c. 17.* ubi ostendit obitum hominum prælia & insignes mutationes præcedere aliqua ostenta, & præfagia, audiri subitos fragores, aut alia id genus.

C.

Sæpe rerum futurarum vices & circumstantias Deus Diabolis nequicquam in specie revelat, vel etiam administrandas committit, sæpe propter poenitentiam hominum intervenientem poenam mutat, differt, mitigat, sæpe cõnivet, sæpe mentem præfigit injustis molitionibus, sæpe mentem sacrarum scripturarum Dæmones exactissimè non sunt affecuti, de fatalibus imperiorum mutationibus, de ætate regum, de successoribus eorundem. Iccirco levibus conjecturis ducti perplexa ænigmata protulerunt, quibus miteros homines ludificari voluerunt.

Causse, cur
plerag, ora-
cula Ethni-
corum fue-
rint à μ φ ιδ ε-
ξ ι α, obscura,
incertissima.

CI.

Legatur prolixa narratio de Cræso everfuro regnum, sed suumne an alterius, relicto in incerto per Oratorem suum, cum quo etiam exostulat, apud Herodotum *lib. 1.* Simili modo apud Diodorum *lib. 20.* Amilcari Carthaginensiu Duci Syracusas obsidenti respondebatur, ipsum postridie cœnaturum in urbe, nimirum non victorem, quod ipse sperabat, sed captivum introductum.

CII.

Eadem ratione Pythia decepit Lacedæmones apud Herod. *lib. 1.* eadem ratione adhuc hodie fures in crystallo monstraturus Dæmon exhibet magis suis & magos consulentibus formas hominum obvertentium dorso, non facies, scilicet quia notus Diabolo non est furti auctor, sæpenumero res furtivas absconditas & notas furi, tamen ipse nescit, immo sæpe

sæpe intra hoc oppidum in domo cuiusdam occultatas dicit, quæ interim in vicesimo alio oppido longè disito fuerant alijs divenditæ.

CIII.

Prorsus igitur execrabile & miserabile est, quod innocentes suspectos de furto reddit, ut veterum & recentium exemplorum historiæ attestantur.

CIV.

Interrogatus Calchas vates de sue prægnante prætereunte, quotnam gestaret in utero porcos; obmutuit, Deo prohibente, ne pro lubitu in bruti corpus intrare & speculari conditionem fetuû possit vel audeat Diabolus *Strabo lib. 14. Eustathius id. c.*

*Interdum
Diaboli ad
quæsitæ pro-
sus obmutue-
scunt.*

CV.

Sic apud Plinium *lib. 30. cap. 2.* interrogatus Dæmon ab Appione Grammatico de patria Homeri, nihil unquam certi proferre potuit. Scribit etiam *Calius Rhodiginus* de quadam Pythonissa in patria sua, quæ de præteritis & præsentibus rebus mirifica, de futuris semper mendacissima dabat responsa, & addit, Dæmonem prodidisse sæpe inscientiam suam vel murmure incerto, vel etiam emisso hombo. Quod etiam sæpe cum urgebatur verberare solitus fuerit interrogantes, exempla reperies apud *Phil. Camer. succ. lib. 1. cap. 70.*

*Urgentes sibi
responsa dari
interdum
verberat
Diabolus*

CVI.

Abscondebatur in arcem Eisenacensem tanquã in Pathmum præ metu Papæ & Imperatoris, *an. 1522.* D. Lutherus, quæ tamen locum arioli & magi nulli in tota Italia ex suis Dæmonibus resciscere potuerunt, Deo aut ab istis locis procul propellente omnes Diabolos, aut proferre locum prohibente. Id quod in nobis summam consolationem pariet, ne hostium vel magnitudine vel multitudine unquam frangamur, sed à solo Deo dependere assuescamus.

D

Neq;

An potuerint
Ethnici &
unde potue-
runt idolorum
& oraculo-
rum vanita-
tem olfacere.

CVII.

Neq; verò ignorantia excusatione iuvabuntur Ethnici in iudicio divino, siquidem ex jam enumeratis circumstantijs de falso Deo facilem conjecturam facere potuissent, & alia quoq; occurrebant, quæ oraculorum numina Diabolica esse manifestè vel rudissimos convincerent.

CVIII.

Heliopoli in Aegypto tres in die homines mundos Iunoni mactabant apud Polyd. *lib. 5. cap. 8. de invent.* Rhodij & Cretenses ex instituto Curetum hominem epulis gravatum, & pueros impuberes diebus festis Saturno mactabant apud Alexand. *lib. 6. cap. 26.*

CIX.

Simili modo apud Pausaniam cum Messenij & Lacedæmonij mutuo bello implicarentur, Delphicus orator suavit ut pro salute patriæ virginem ex Aepytidum familia offerrent, Græci in anniversarijs quibusdam festis Bacho solemniter vivos homines pro more publicè recepto & approbato, diutissimeq; confirmato offerre solebant. *Alex. lib. 6. cap. 26.* Irrepsit illa impia consuetudo tandem etiam in populum Dei, ut infra commemorabitur.

CX.

Quis verò non exhorrescat, qui leget, iussu oraculorum Erechthem Atticum filias suas sacrificasse, Aristemenè Messenium Ichmeti Iovi trecetos viros mactasse Pergamæ nos in obsidione Saracenicâ, instinctu Magi cuiusdam, prægnantem mulierem dissecuisse & fetum coxisse, ut eius liquore tingerentur, quotquot feliciter vellent militare: citante in Iua Solyma Heideno *lib. 7. cap. 2.*

CXI.

Quid? quod in hunc usum divites filijs destituti emerent libros à pauperibus tanquam agnos & pullos columbarum in foro, & quod majus est, quod mater coacta fuit sine lacrymis
alli-

assistere sacrificio sub pœna privationis precij, ita ut nihilo-
minus immolaretur puer: *Plutarch. in lib. de superstit.*

C XII.

Fuerunt hæ victimæ humanæ adhuc in usu ante centum
annos in Americâ, ut testantur, qui de inventione Americæ
scripserunt. *Vide in theatro Zuvingeri volum. 27. lib. 4. f. 4223.*

C XIII.

An non ex tam horribili crudelitate sollicitis digitis cõpu-
tare debuissent, profectò non Dei veri & sancti sed corrupto-
ris & hostis alicuius insignis omnium hominum hæc esse ius-
sa & consilia, non aliter atq; *hodie magi* suam agnoscere exe-
crandam impietatem deberent ex illo, quòd jubentur, accipe-
re corcula fetuum humanorum, quorum ea sit vis, ut liberè
possint noctu furari, nec deprehendi, altum interim stertenti-
bus patrib. familias. Vna enim vice duo designatur homicidia.

C XIV.

Et certè ipsis aliquot Ethnicis eadem oracula suspecta fu-
isse inde patet, *quod* referente *Plutarcho* Pelopidas ruffam vir-
ginem immolare iussus equam suam colore rutilantem acce-
perit, *quod* Numa Pompilius rex Romanorum de oraculi sen-
tentia, capitibus sacra facere iussus, caparum dixit non homi-
num &c. & referente *Valerio Maximo*, Alexander de oraculi
sententiâ post victoriam impetratam sacrificaturus quicquid
primò occurreret, cumq; asinarium videret agentem ante se
asinû, bruto non homine oraculi voluntati satisfacere maluit.

C XV.

Ex his discamus, quam justa & sancta iudicia habuerit præ
Ethnicis populus Judaicus, quam sancta & pura nos quoq;
hodie habeamus oracula Prophetarum, Evangelistarum &
Apostolorum.

C XVI.

Nostri religio est fundata super scripturam divinitus pa-
refactam à Creatore cœli & terræ: *in Atabyrio Rhodi* promõ-
torio ænei boves fuerunt, ex quibus mugitu suo Diabolus
protulit suas imposturas.

*Omnino in-
excusati erũt
Ethnici idolo-
latræ in ulti-
mo die.*

*Oraculorum
Ethnicorum
vanitatem &
impietatem
ipsi aliquot
Ethnici ani-
madverte-
runt.*

*Collatio ve-
ræ & falsæ
doctrinæ.*

CXVII.

Israelitici sub veteri Testamento & hodie nostri adolescentuli in scholis doctrinam divinitus patefactam discunt; olim optimatum filij undiq; mittebantur in Hetruriam, ut artes magicas imbiberet: imprimis teste Cic. de divinat. & apud Persas nemo rex creabatur, nisi qui magicam teneret scientiam: nostri infantes discunt ante mensas blæsis vocibus sonare Christi suavissimum nomen: Olim ex omnibus pueris & puellis vaticinabatur Diabolus, referente *Calio ex Ariano.*

CXVIII.

Vt tunc Israelitæ, ita nos hodie quæcunq; facimus, in nomine Domini facimus; olim nihil in pace, nihil in bello absq; oraculi, hoc est, Diaboli consilio gerebatur, unde gratâ mente Bibliorum codicem amare & unicè sequi decet.

CXIX.

Quemadmodum enim factio Samaritana non tantum Hierosolymitani templi extructionem post reditum ex Babylone omnibus modis impediebant, sed & aliud proprium contra ædem Hierosol. exædificabant, ita tot seculis Dæmon non tantum Dei gloriam oblcure, sed etiam suum regnum stabilire conatus fuit.

CXX.

Cæterum hoc in loco non immeritò à studiosis hætenus propositas theses paulo attentius considerantibus quæretur, *an Ethnici*, qui per suos Deos jurarunt, quando fefellerunt perjuri perhiberi debuerint, & an iccirco à *vero Deo*, an à Diaboli fuerint puniti.

CXXI.

Multa enim occurrunt in auctoribus profanis exempla, 1. Jurantium per Deos falsos. 2. Iuramenta illa præstita fallentium. 3. & tamen tandem atrocissimis pœnis affectorum.

Verum

Diabolo semper duo sunt proposita, gloriam Dei scilicet impedire, suam vero idolatriam stabilire.

Questio de Ethnicis jurantibus per falsos Deos, cum fallunt & puniuntur, utrum à Deo, an à Diaboli puniantur.

CXXII.

Verum *Diabolo* vindicandi ex zelo genuino perjury, ut & alia Ethnicorum scelera, voluntatem ideo non possumus largiri, quod ad scelera ipse miseros incitet & impellat.

CXXIII.

Sic igitur statuendum est, licet Ethnici in jurando aberrarint à vero Deo, tamen quia habuerunt hanc persuasionem se colere verum Deum, 1. quod *hac persuasione* seipso obligarint ad veritatem in juramenti exercendam, 2. quod *contemptu*, perjury sive mendacio illo subsecuto à vero Deo poenas sibi met ipsis accersiverint. Peccant enim gentes in verum Deum, 1. jurando per idola, *Exod. 23. 13. Iosua 23. 7.* 2. fallendo sive in juramenti sive absq; juramenti, *Ierem. 5. 7. 8. 9.*

Responsio ad questionem.

CXXIV.

Huc pertinet illud *Augustini sermone 28. de verbis Iacobi, Nolite jurare.* Multi in hoc falluntur, & putant, quod nihil est, per quod jurant, non se crimine teneri perjury. Prorsus perjury es, quod per id, quod sanctum putas, falsum juras, juras ante Deum. Non te audit lapis loquentem; sed punit te Deus fallentem.

Augustini sententia de perjury Ethnicorum punitis.

CXXV.

Etsi autem idolum, numen Ethnicorum nihil est in mundo, *1. Cor. 8. 4.* & in humanis judicijs citans testem in rerum naturam non extantem ridetur, nunquam verò punitur, tamen in foro poli, idolum cordis sui adeoq; terminum fictum, ut loquuntur scholastici, in testimonium falsum vocantes à perjury & contumeliæ crimine liberi non sunt.

CXXVI.

Immo cum non objecti vanitas sed causæ impulsivæ & proæreles jurantium propriè spectentur, iccirco *Augustinus epist. 154. ad Publicolam, quæ juri canonico inserta est causa 22. q. 1. concludit* licitum esse Christianis ad confirmationem civilium

Augustinus concedit Christianis petere juramenta ab Ethnicis c. 22. q. 1. c. 12.



lium & legitimorum contractuum ab Ethnicis postulare & accipere juramenta talia.

CXXVII.

Ita, quod si quis propria superstitione rogatus jurasset, iusiurandum admitti & probari debere, *ext. qui iurasse ff. de iurejurando*, multi conjiciunt.

CXXVIII.

Eandem intentionem habuerunt Imperatores Romani, qui à *Judeis juramenta* sub religionis ipsorum allegatione petere concedunt Christianis, & fallentes Iudæos pro perjuris habere, & perjurii pœnis coercere iubent.

CXXIX.

Eandem rationem tum in jurando, tum in pœnis perjurorum ad *Turcas seu Mahumetanos* accommodare poteramus.

CXXX.

Legatur autem in odus adigendi Iudæum ad juramentum in decretis comitialibus imperij Romani sub titulo, *Ernewerte Ordnung etlicher Puncten/ belangende den Gerichtlichen Proceß des Keyserlichen Cammergerichts publicire zu Speier Anno 1538*. hoc est, renovata ordinatio aliquot casuum pertinentium ad judicialem processum Camera Imperialis, publicata Anno 1538 *Form vnd Ordnung des Jüdeneids/ hoc est, forma & ordinatio juramenti Iudæi*.

CXXXI.

Sed ut tandem de novi quoq; testamenti temporibus aliquid adjiciamus, ex veteribus derivata in nova & sub N. T. retenta fuerunt ignis sacri cultus usque ad tempora Cyrilli circa nativitatis Christi annum 418. ut patet *ex lib. 7. cap. 7. & 8. Socratis*, item victimarum humanarum portenta usq; ferme ad nostrum seculum *ut annotatum fuit superius, præterea cultum diabolicorū execranda exempla in hunc usq; diem quod magorum & veneficorum demonstrant prodigia*. Adde his

Bacha-

ff. lib. 12. tit. 2. l. 26. Paulus.

Imperatores Romani Christiani concedunt Christianis petere juramenta à Iudæis.

Quenam impietates sub veteris & novi testamenti temporibus vixerint.

Bachanalia, quorum insignem unam descriptionem leges apud *Herodotum lib. 2.* dicta à *Bacho*, qui vixit circa mortem *Mosis*.

CXXXII.

Ceterum sicuti *Cain* ante diluuium, *Cham* ipse post diluuium, *Cabala* post *Mosen*, ita in primis *Papa Romanus* post ascensionem *Christi* inter alios hareticos sacrosanctum verbum diuinitus inspiratum totis viribus corrumpere, concilio- rumque suorum & traditionum fictarum obeliscis notare in hunc usq; diem annitur.

CXXXIII.

Apostolos enim multa tradidisse posteris sermone con- tendunt, quæ non minorem habeant auctoritatem, quam quæ scripto sunt mandata, ideoque certissimum fidei sint funda- mentum, secundum *Anotum*, ita citante *Brentio in prolegome- nis super apologiam Christophori Ducis Uirtenbergensis cap. 3.*

CXXXIV.

Non equidem inficias ibimus, tam *Christum* quam Apo- stolos multa fecisse, dixisse & instituisse, quæ literis compre- hensa non extant *Iohan. ult. & 2. Thess. 2, 15.* State & tenete doctrinam traditam, quam edocti estis, sive per epistolam sive per sermonem.

CXXXV.

Non etiam negare possunt adversarij nostri, ipsis Apo- stolorum temporibus *Christianis* fucum fieri & insidias strui consuevisse per eiusmodi jactatas Apostolicas traditiones, unde *Apostolus* inquit *Coloss. 2, 2.* Videte ne quis vos seducat per *Philosophiam* & inanem deceptionem secundum tradi- tionem hominum. Et *2. Thess. 2, 2.* ne citò dimoveamini à mente neque turbemini neque per spiritum, neq; per sermo- nem, neque per epistolam tanquam à nobis profectam.

Solenne

De traditio- nibus jacta- tis sub no- vo Testa- mento.

Concedimus nos *Luthera- ni* esse ali- quas *Aposto- licas tradi- tiones.*

Necessariò coguntur no- bis concedere *Pontificij,* esse multas fictas & im- pias traditio- nes.

CXXXVI.

Irenæus.

Solenne quoq; fuisse hæreticis posteriore tempore cum urgerentur scripturis confugere ad traditiones ex hoc *Irenæi* dicto *lib. 3. advers. Valent. & sim.* apparet: Cum ex scripturis arguantur, in accusationem convertuntur ipsarum scripturarum, quasi non rectè habeant, neq; sint ex autoritate, & quia variè sint dictæ, & quia non possit ex his inveniri veritas, ab his qui nesciunt traditionem.

CXXXVII.

Basilii recenset aliquot traditiones.

Basilii has recenset traditiones sine scripto acceptas, 1. figura crucis signare eos, qui in nomen Domini nostri Iesu Christi spem habent, 2. ad orientem converti dum oramus, 3. invocationis verba, dum ostenditur panis Eucharistiæ & poculum benedictionis, 4. benedicere aquam Baptismatis, & oleum unctionis, & eum qui baptizatur, 5. oleum illinere, 6. ter immergere hominem in Baptismo. 7. renunciare Sata-næ & angelis eius in baptismo, 8. erectum perficere preces in una Sabbathi, 9. genua flectere, & rursus erigere.

CXXXVIII.

Basilii plus tribuit scripturæ quam traditionibus

Quanquam verò *Basilii* dicit, se dogmata, quæ in Ecclesia servantur & explicantur, partim ex conscripta doctrina partim ex Apostolica traditione ad nos delata in mysterio recipere, & quòd utraq; ad pietatem vim eandem habeant, & his neminem contradicere, qui vel saltem modicam Ecclesiasticarum legum experientiam habet.

CXXXIX.

Tamen ille ipse sese mox explicat, quod plus tribuat scripturæ, & omnia velit examinari ad scripturam, cum ita addit: Oportet omne verbum aut rem confirmare testimonio sacrae scripturæ ad certitudinem quidem & perfectionem bonorum, ad confusionem autem malorum. Item: in quacunq; re unusquisq; se indigum senserit, si in illis, (*scripturis*) conver-
setur,

setur, velut ex communi medicamentaria officina, medicamentum ægritudini commodum repetit.

CXL.

Præterea negari non potest, proferri Apostolicas traditiones de una eademque re sæpenumero diversas, ut *Petri & Pauli* de Paschate celebrando ad diem Dominicam post lunam decimam quartam, *Iohannis Apostoli & Philippi*, de Paschate eodem celebrando ad decimam quartam lunam.

Multæ traditiones Apostolicæ dictæ sibi tamen invicem sunt contrariæ.

CXLI.

Sit igitur hæc Regula, omnem traditionem, cujuscunque auctoris præ se ferat nomen, ad sacrum codicem expendendâ esse, & si cum eo pugnaverit, omninò tanquam fraudem nobis objectam exterminandam & execrandam esse. Fieri enim nullo modo potest, quod Apostoli ex eodem spiritu alia literis consignarint, alia traditionibus comprehenderint, si hæc sint ab illis pugnantia.

CXLII.

Ad Concilia, quod attinet, illis quoque plus tribuendum non est, quàm hisce jam nominatis traditionibus. Quantum autem insidiarum Ecclesiæ sub glorioso conciliorum titulo positum fuerit, vel ex uno exemplo discere sufficiat.

Quantum tribuendum sit concilijs.

CXLIII.

In Concilio Africano petunt legati Rom. Pontificis, ut liceat Episcopis Romani provocare, & proferunt canonem Nicæni Concilij, cujus auctoritate exigunt, ut Africanæ Ecclesiæ subjiciantur Romanæ.

CXLIV.

Verum Patres Africani Concilij postulant ab Ecclesiâ Alexandrinâ & Constantinopolitanâ vera Exemplaria canonum Nicæni Concilij, & deprehendunt Romanum Pontificem ambitionis æstro concitatum designasse in proferendis Canonibus Nicænis crimen falsi. Quapropter in eum invehuntur quàm gravissimè.

E

Ut aliqui

CXLV.

Carite vobis
hoc, o Episco-
pi Romani
nocturna q̄ di-
urna q̄ manu
voluite.

Ut aliqui (*inquiunt*) tanquam à tuæ sanctitatis latere mit-
tantur, nullâ invenimus Patrum Synodo constitutum, Quia
illud quod pridem per eundem Coepiscopum nostrum Fausti-
num, tanquam ex parte Nicæni Concilij, exinde transmisis-
tis in Concilijs verioribus, quæ accipiuntur Nicæni à sancto Cy-
rillo Coepiscopo nostro, Alexandrinæ Ecclesiæ, & à venera-
bili Attico Constantinopolitano Antistite, ex Autentico mis-
sis, quæ etiam ante hoc per Innocentium Præbiterum & Mar-
cellum Subdiaconum, per quos ad nos ab eis directæ sunt, ve-
nerabilis memoriæ Bonifacio Episcopo Prædecessori uestro à
nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus repe-
rire. Executores etiam Clericos vestros quibuscunq; peten-
tibus, nolite mittere, nolite concedere, ne famosum typum
secuti in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humi-
litis diem Domini videre cupientibus præfert, videamur in-
ducere: Hæc ex Epistola Africani Concilij ad Celestinum
Papam.

CXLVI.

Si igitur legati Romanorum Pontificum coram Conci-
lio Africano, cui etiam Augustinus interfuit, non erubuerunt
crimen falsi committere, & ut Acta hodierna testantur, in e-
odem crimine deprehensi & culpati nihilominus in hunc usq;
diem perseverant, utiq; Apostolicarum traditionum Patrum
& Conciliorum titulis venditata, etiâ alia interim, vel millies
conspurcari, mutari, mutilari, prava additione vel detra-
ctione, vel immutatione potuisse, & mutilata esse, nemo du-
bitet, ideoq; singula singulorum ad normam veram exami-
nanda meminerint.

CXLVII.

Eusebius.

Expertus illud fuerat *Eusebius lib. 3. Eccles. histor. cap. 39.*
de Papiæ, cum ita scribit suo tempore: Alia quædam idem
Commentator (*Papias*) tanquam ex viva traditione ad se re-
lata, & peregrinas quasdam fabulas & doctrinas, cum alijs
nonnullis fabulosis adjicit, in quibus etiam millenarios quos-
dam

dam annorum post resurrectionem mortuorum futuros dicit, in quibus regnum Christi in hac terra corporaliter consistere debet: *Hec ille.* CXLVIII.

Sicut autem suas in Veteri Testamento idololatrias, suasque strophas, & detorsiones verbi Dei mirabilibus visis & profectationibus palliarunt Diaboli, ita traditionum magnum numerum sub novo Testamento, & alias verbi Dei corruptelas etiam Diaboli miraculorum quorundam, & apparitionum suarum fucō tegere & præcipuè confirmare sategerunt. CXLIX.

Quoties autem occurrerunt talia quædam spectacula mirabilia, ut in animis plebeiorum rem pugnantem cum sacris literis stabilirent, aut inanes præstigiæ Daemonum, aut clandestina figmenta decipientium monachorum & aliorum hominum fuerunt. CL.

Quod verò posterioribus præsertim seculis ad contactum reliquiarum, aut ad adorationem statuarum curati dicuntur morbi aliquorum, id primo satis probatum reddi debet, & id vel factum est, quod Diabolus minister in multis morbis desijt lædere, ut videretur curare, vel quod spontè solverentur morbi, vel quod alij modi contingerent, quos facile est afferre. CLI.

Non autem ullius conditionis & ætatis hominē juvabit hac de re ulla excusatio, siquidem ex prima fabularum recitatione vanitas rerum cuius innotescere debuisset. CLII.

Si enim fragmenta de cruce Christi distributa collegeris, aliquot plaustra complebis: *Si pedes* de asinis super quibus equitavit Christus in urbem, distributos numeraveris, plures quàm quatuor ex eis unū habuisse necessum fuerit: *Sicut cum Edmundus rex Anglorū* ex dentibus laborans dentes Apoloniæ petens tot accepit, quibus multas tonnas complevisset. *Et quid ineptius*, quàm quòd lac virginis intemeratæ, plumasque columbæ super Christum in Baptismo conspectæ, & alia jactitarunt, ipsis puerulis nedum senioribus ridicula & absurda. CLIII.

An non suspecta hæc omnibus & singulis esse debuissent, ut & illa, quum dixerunt hanc vel illam nimiam opem Monachorum expertivisse

Cur homines fidem adhibuerint fictis traditionibus, cum verbo Dei pugnantibus.

Aniles fabulas Pontificias, quilibet etiam indoctus agnoscere potest & debet.

Chemnic. in Exam. Consil. Trident.



petivisse, cereos suâ sponte accensos fuisse, hanc vel illam imaginem locutam, lacrimatam, commotam ad misericordiam inflexo capite, cruces in oblati sanguine Christi consperfas fuisse.

CLIV.

An non meritò dubitare decuisset de transubstantiatione in corpus Christi, cum toties hostiam veneno infectam fuisse experti fuerint, an non sapius *ἐν ἀντιφάσει* deprehensi Monachi instar animarum clamantes & expetentes, tot & tot officia Missarum, singulorum attentionem excitare debuissent, ne extra verbum apparitiones quærent, crederentve.

CLV.

Quando *legendas*, ut vocant, Sanctorum percurrerunt, Deus bone, quotus quisque esse potuit, quibus narrata in illis, vel saltem verisimilia existimarentur.

CLVI.

Ex hypothesi

Si errantes aliqui spiritus verè apparuissent, aut credulorum, aut incredulorum fuissent illi: Si primi, absq; dubio nihil aliud potuissent dicere, quàm quòd Deus ipse, Pater ipsorum dixit; Hunc Christum audite: Si incredulorum, aut veritatem dixissent, amplectendam non propter ipsorum qualem qualem auctoritatem, sed quia verbo Dei consona fuisset elocutio ipsorum, ubi ipsorum apparitione opus non fuit, aut mendacia contra Scripturam protulissent, quæ utiq; statim profligare & repudiare debuissent omnes pij, immò neque falsa recipi debuissent, etiamsi Angelus de cælo ea protulisset.

CLVII.

Singulis seculis aliqui, contradixerunt commentarijs traditionibus pontificiorum.

Et Deo sit laus, quòd singulis seculis durantis tyrannidis Pontificiæ non exiguus fuit numerus, qui ex istis ineptijs de falsa Pontificiæ doctrinæ opinione ratiocinati fuerunt, quorum catalogù longissimam texere poteramus.

CLVIII.

Neq; dubitamus hodiè & doctos & indoctos illas *ἀπλολογίας* & absurdissimas absurditates agnoscere: uniceq; exoptamus, ut mente & quantum fieri potest corpore è Thaide Babylonica secessum faciant; reliquos contra scientiam hos fucos sua adulatoria Rhetoricâ occultantes miramur, Dominiq; iudicio committimus.

CLIX.

Cæterùm admonitione de vera Ecclesia, custode depositi Mosaici, Prophetici & Apostolici mandata, deq; Synagoga adversantium Mosis, Prophetis & Apostolis suscipienda, nunc in aliud tempus remissâ, Deo omniscientissimo pro patefactionibus suis toto pectore gratias perperuas pollicemur.

F I N I S.

94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692





Sb.

VD 17

21,7.99 Bd.







EX

DEUTERONOMIO

Disputatio III:

I. De Perfectione sacrarum scripturarum.
II. De genuino earundem sensu inquirendo

Quæ
In Collegio disputationum Theologicarum
privato.

Ad diem 21. Novembris A. C. 1607.
Witebergæ habebitur

PRÆSIDE

VVOLFGANGO FRANZIO

S.S. Theol. D. & Prof. publ. Præpo-
sitoq; templi arcis

Respondente
Philippo Cradelio Stetino-
Pomerano.

WITTEBERGÆ
Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.
M. DC. VII.

